
Quaestiones theologicae. De sacramentis in genere.

Numéro d'inventaire : 1979.17915

Auteur(s) : Mathurin Avice

Type de document : affiche

Éditeur : Ysambart (Joseph) (Caen)

Imprimeur : Ysambart (Joseph)

Période de création : 3e quart 18e siècle

Date de création : 1763

Description : Une feuille de papier bruni et froissé. bords déchirés et froissés. Déchirure et perforation le long de la pliure médiane. Petite estampe dans la partie supérieure (gravure sur bois). Texte imprimé, avec lettrines, dans la partie inférieure.

Mesures : hauteur : 490 mm ; largeur : 375 mm

Notes : Question de théologie que doit discuter Mathurin Avice le vendredi 15 juin 1763 au collège-séminaire des Oratoriens à Caen. La question porte sur les sacrements et s'appuie sur une citation: Vous boirez dans la joie les eaux aux sources du salut. Les trois premiers articles traitent des sacrements en général. Les deux suivants concernent le baptême. L'estampe représente deux anges tenant des palmes et portant une couronne d'épine dans laquelle sont inscrits les mots "Jesus" et "Maria".

Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics

Filière : Université

Niveau : Supérieur

Autres descriptions : Langue : Français

Nombre de pages : 1

ill.



CHRISTO SACRAMENTORUM AUTORI.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Haurietis Aquas in gaudio de Fontibus Salvatoris. If. C. 12. v. 3.

SACRAMENTIS totidem veluti canalibus, innumera divinæ gratiæ beneficia ad nos profluere Christus ipse sancivit. Sacramentum in genere defini potest *signum* sensibile, in usum religionis stabilem à Deo institutum, sanctitatis tum significandæ, tum efficiendæ, *vim habens*. Unde liquet, nec sacrificium ex naturâ suâ, nec sacramentalia ab Ecclesiâ instituta sacramentis esse annumeranda. In statu innocentie nulla extitisse videntur sacramenta. Sub lege autem naturæ, aliquod fuisse sacramentum, in peccati originalis remedium, testes sunt Sanctus Augustinus & Sanctus Thomas. Quodnam verò illud esset, traditio filii & scriptura. De vi circumcisionis disputatur. Non ita pauci, duce Augustino, contendunt, eam, ad delendum peccatum originale institutam, gratiam ex opere operato contulisse: sed neque scripturis, neque primis Patribus innitur illa sententia. Non desuere sua legi scriptæ Sacramenta, sed ægna & vacua elementa, gratiam ex se non producebant: à Christo dandam præfigurabant. Desierunt cum abrogata fuit lex illa per mortem Christi; aliquandiu tamen licitè potuerunt observari: licet enim, mortuo Christo, mortua, non illicò mortifera.

VERITAS umbris, & nova successere veteribus Sacramenta, nunquam deinceps immutanda. Nec plura, nec pauciora, quàm septem agnoscit Ecclesia. Suâ quæque materiâ constant, suâque formâ quæ quidem verbum est verè consecratorum. In utràque nemini quidquam licet immutare; & si alterutrius substantiam afficiat mutatio, sacramentum tollit. Antehac prorsus ignota, prodit octavo sæculo forma conditionalis, decimo tertio ab omnibus Latinorum Ecclesiis admitta, quoribus de validitate sacramenti characterem imprimendis dubitatur, nunc usurpanda. Alia sunt mortuorum sacramenta, Baptismus videlicet & Pœnitentia, eaque necessitate mediû; vivorum reliqua, eaque necessitate præcepti divini. Primarius omnium effectus, gratia habitualis, quam, interius mentem sanctificando, producent *ex opere operato*. Baptismus & Pœnitentia per se primam, cætera secundam, singula denique propriam sibi gratiam conferunt, per influxum moralem. Secundarius Baptismi, Confirmationis & Ordinis effectus, est character, animæ indelibiliter impressus, undè ea iterari nefas. Existentiam illius, traditio demonstrat; acris est de ejusdem essentiâ disceptatio.

AUTHOR Sacramentorû novæ legis, quis est nisi Christus Dominus? An ut Deus, an verò ut homo? Ut Deus per potestatem autoritatis, ut homo per potestatem excellentiæ. Ordinarius minister, solus homo viator, non tamen quilibet indiscriminatim. Ut sacramenta licitè conficiat aut conferat, integritas fidei, & animæ sanctitas requiruntur, non item ut validè. Ad sacramenti valorem essentialis est vera intentio faciendi saltem quod facit Ecclesia. Actualis & interior in ministro approximè exoptanda, neutra verò de necessitate sacramenti, sufficit, & absolute necessaria est exterior & virtualis. Jure huic inesse creditur, qui singula debitis in circumstantiis, & eâ, quâ par est, reverentiâ peragit. Procul ergo intentio jocularis. Sacramentorum subjectum, solus etiam homo viator. In adultis plures ad eorum validam licitamve susceptionem conditiones desiderantur ac dispositiones. Invalide ab eo suscipiuntur, qui nullam omnino præ se fert intentionem ea suscipiendi; illicitè tantum ab eo qui fide caret. Cæremonias in sacramentorum administratione publicâ usurpandas, potuit, potestque etiamnum Ecclesia instituire: institutas nemo privatus aspernari debet, aut pro arbitrio suo intervertere.

De Sacramento Baptismi.

BAPTISMUS est Sacramentum à Christo institutum ad regenerationem hominum quæ fit per abluionem ex aquâ cum expressâ sanctissimæ trinitatis invocatione. Materia ipsius remota, sola aqua naturalis, proxima, ablutio. Sive per immersionem, sive per aspersionem, sive per effusionem fiat, perindè validus est, nec usquam trina immersio fuit necessitate mediû necessaria. Forma Baptismi apud Latinos, hæc est: ego te baptizo in nomine Patris &c. Apud Græcos, ista: baptisatur servus Christi &c. utraque legitima, ac eadem quoad sensum; non eo prætextu fretus quisquam audeat ab Ecclesiæ suæ more discedere. Nec valuit, nec valere potest Baptismus in solo Christi vel alterius personæ nomine collatus. Varii varium tempus instituti à Christo Baptismatis assignant: qui institutionem illius, ante passionem reponunt, probabilius videntur sentire. Ordinarius Baptismi minister, Sacerdos; extraordinarius, ex delegatione, Diaconus; in necessitate quilibet. Baptismus ab hæreticis datum, Cyprianus cum multis Africæ Episcopis, & similianus cum Asiaticis invalidum habuere. Id ægrè ferens Stephanus S. P. minas intentavit, deonuit, at fulmen continuit, nec anathemate percussit. Denique per plenarium concilium dirempta lis est, error rebaptizantium proscriptus, reventa antiquitas, explosa novitas.

CUM nullus sit sexus, nulla ætas, conditio nulla, quæ non sit peccato obnoxia, neminem fas est à sacro fonte Baptismatis arcere. Attamen amentibus quos lucida manent intervallo, non impertiri debet, nisi, dum illuxerit ratio, optare se illud indicaverint. Non etiam baptisandi sunt infidelium filii invitis parentibus, nisi fortè sub servitute teneantur, aut proxima sint morte perituri. Parvulos actuali propriâ que sibi fide destitutos, baptismo fidem illis infundente, fidelibus aggregari, quis inficias ibit? Pœnam omnem quæcumque sit ac reatum culpæ tollit efficacia Baptismi prævis cum dispositionibus suscepti, & illi fide suscepto peculiare est, fictione recedente, reviviscere, delicta que priora delere; ipsa verò fictio, & subsequencia peccata, laborioso supersunt Pœnitentiæ baptismo diluenda. Tamen si necessarius est necessitate mediû Baptismus ad salutem consequendam, supplari nihilominus potest per votum illius sincerum cum charitate perfectâ, sic & per martyrium. Baptisma Joannis ut potè cælestibus tantummodò præministrans, valdè, tum efficiaciâ, tum naturâ, differebat à Baptismo Christi Domini. Posterioris plures sunt Cæremoniæ religiosè servandæ, quibus tamen gratiam duntaxat ex opere operantis, perque modum impetrationis, convenit producere.

Has Theses, Deo duce & Aspice Dei-parâ tueri conabitur
MATHURINUS AVICE, Conv. Cenomanensis. Die Veneris 15. Julii Horâ post meridiem sesqui-secundâ, Anno Domini 1763.
IN AULA COLLEGII SEMINARII CENOMANENSIS SACERDOTUM ORATORII DOMINI JESU.

CENOMANI, ex Typis JACOBI Ysambart, Collegii & Civitatis Typographi, in Compito Sirenis.